



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Dionysii Carthusiani, luculenta iuxta ac compendiaria in Acta apostolorum exegesis siue commentaria

Dionysius <Cartusianus>

Coloniæ, 1532

VD16 D 1926

Elucidatio 5 cap. Vir autem quidem art. 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-38702

IN ACTA APOS. EXEG.

unum & anima vna, quamnis ab omnibus considerandum, & imitandum atque implendum sit Christianis, potissime tamen a religiosis, qui apostolicæ p̄fectionis vestigia sectari p̄fessi sunt. Cœnobiaz eadem (sicut ait Hieronymus) si pacis concordia, charitatisque vnitas adfint, sunt paradus dei in terra, Et habitantes in eis, sunt ægeli. Si vero defuerit, sunt infernus, & habitatores diaboli

ad horum
lib. 2. 2. 2.

¶ Elucidatio capituli quinti. Vir autem quidam. Articulus quintus

Sicut in veteri testamento quidam in principio latronis legis Mosaicæ ob eius transgressionem dire puniti leguntur, vt filij Aaron q̄ combusti sunt eo quod ignem alienum offerrent, & alter qui ligna collegit Sabbatho, quatenus præcipientis autoritas monstraretur, & alij ad obseruantiam diligentiorẽ inducere r̄tur, pateretque quã salubre esset legi obtemperare diuinæ, quam impium & damnabile non parere, ita & in Euangelica accidit lege, quando quidem Euangelicæ legis dorogantes sinceritati, terribiliter sunt plagati. Quod in principio huius capituli exemplo ostenditur. ¶ Vir autem quidam nomine Ananias cum cum Sapphira vxore sua vendidit agrum, & fraudauit de precio agri ¶ partem pecuniæ sibi fraudulenter seruando, quam totam tenebatur in communem vsu p̄ferre ¶ conscia vxore sua ¶ nam ea sciente & consentiente factum est hoc ¶ & afferens partem precij, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autẽ Petrus ¶ cui istud per reuelationem diuinam innotuit ¶ Anania cur tentauit, id est, in tentationem induxit ac supauit ¶ Satanus cor tuum? ¶ Vel cur tentauit, id est, cur ita peccasti, quod deus sic te dereliquit vincti. Exigentibus enim præcedentibus nostris peccatis frequenter dure tentamur, & in tentatione a deo iuste relinquitur ¶ mentiri te spiritui sancto? ¶ .i. nec fidelitatem, nec veritatem ei seruare, sed ad eius mentiri iniuriam. Sic omnis qui

frangit votum, spiritui sancto mentitur. Qui autem societatem illius primitiuæ ecclesiæ ingrediebantur, uere in communi uouebant. Nonne manens manebat tibi, id est, nonne ager nondum uenditus tuus erat & uenditum erat in tua potestate? .i. spacium seu hereditarium bonum agri istius post uenditionem fuit in tua uoluntate, quantum ad precium uenditi. Et hoc referendum ad tempus præcedens uotum præfatum. Quare posuisti in corde tuo hanc rem? tam impiam per consensum. Non es mentitus hominibus sed deo. Ananias iste eo ipso quo partem præcij ante Apostolos posuit facto asseruit agrum non nisi tanti uenditum esse, sicque mentiebatur hominibus. Probabile quoque est, quod uxori suæ forte & emptori & testibus commisit ut dicerent idem. Verum consuetudo scripturæ est, ut cum aliquid fit duobus notabiliter in dignitate seu qualitate distinctis, a maiori tantum factum dicatur. Sicut & Moyses ait Iudæis. Non contra nos ex murmuratio uera sed contra dominum. Itemque Apostolus. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem sed aduersus principes & potestates. Similiter Ananias nunc dicitur non mentitus hominibus, sed deo, quia illis non solum, sed deo principaliter est mentitus. Sed quomodo aliquis potest deo mentiri, quem nemo fallere potest? Et respondendum, quod deo mentiri, est ad suæ æternæ ueritatis iniuriam, coram illo falsum proferre. Præterea notandus est hic ordo uerborum. Primo enim loquitur Petrus, cur tenta uit Satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto. Deinde subintulit, non es mentitus hominibus sed deo: ex qua autoritate Thomas in summa contra gentiles probat quod spiritus sanctus sit deus. Audiens autem Ananias hæc uerba cecidit & expirauit. Non magica arte id fecit Petrus, ut fingit Porphyrius, sed ex spiritu sancto locutus est, & angelo dei transgressorẽ intus cædente extinctus est impius. Nec fuit hoc crudelitatis, sed æquitatis ad aliorum emendationem: sicut & unum membrum abscinditur, ne totum corpus inficiatur. Sperarique potest quod Petrus sua præce

IN ACT. APOS. EXEG.

transgressori huic gratiam pœnitendi obtinuit, quem
 foris tam districte correxit. Veruntamen in Scholasti
 ca historia fertur, quod iustorum societatem intravit,
 vt necessaria vitæ haberet sine labore. Et sic aliunde
 malus & simulator fuisse. ¶ Surgentes autem iuue
 nes ¶ qui erant Christiani ¶ amouerunt eum ¶ .i. cada
 uer defuncti ¶ & efferentes sepelierunt. Factum est au
 tem quasi horarum trium spacium & vxor eius nesci
 ens quod factum fuerat introiit. Respondit autem ei
 Petrus, dic mihi mulier: ¶ Quomō mulieri huic Petrus
 respondet, a qua interrogatus non fuit, imo quam ipse
 interrogauit. Sed respondet ei ad opus, non ad quæsti
 onem. Respondet enim .i. correspondenter seu conueni
 enter locutus est ei ad factum ipsius, prout factum illud
 exegit ¶ si tanti agrum vendidisti? ¶ sicut est precium
 añ Apostolos positum. ¶ At illa dixit, Etiam tanti ¶ pœ
 se ¶ Petrus autem ait ad eam. Quid vtiq; conuenit vo
 bis tentare spiritum domini ¶ .i. spiritum sanctum, seu
 ipsum dominum deum qui spiritus est. Hæc vero frau
 datio fuit æquiualerter tentatio dei, qui tam fraudu
 lenter partem precij occultauerunt, tanque auden
 ter mentiti sunt, quasi de diuina prouidentia & dei sci
 entia dubitassent. ¶ Ecce pedes eorum qui sepelierunt
 virum tuum ad ostium sunt. ¶ Forte enim Petrus audi
 uit redeuntium sonitū. Vel in spiritu vidit quo essent,
 quemadmodum Heliseus vidit Giezi currentem post
 Naaman, quemadmodum etiam ait Apostol⁹. Et si cor
 pore absens sum, tamen spiritu præsens sum, gaudens
 & videns ordinem vestrum ¶ & efferent te ¶ quasi di
 ceret, protinus morieris & ad sepulchrum duceris.
 ¶ Confestim cecidit ante pedes eius ¶ percussa ab an
 gelo ¶ & expirauit. Inrantes autem iuuenes sepelie
 runt illam ad virum suum ¶ .i. prope corpus viri de
 functi. Fuit enim consuetudo Iudæis, viros & coniu
 ges in eodem tumulo poni, vt coniunctionē carnis, se
 queret cōiunctio pulueris, & q̄a de costa viri facta est
 mulier ¶ Et factus est timor magnus in vniuersa eccle
 sia, & in oēs q̄ audierunt hæc ¶ .i. in oibus .s. credētib.

4. Reg. 5.
 1. Cor. 5.

IN ACTA APOS. EXEC.

sunt semen cui benedixit dominus . L Magis au-
 tem augebatur in domino credentium multitudo vi-
 rorum ac mulierum . J Visis enim tantis prodigijs & tā
 evidentibus indicijs sanctitatis ac gratiæ spiritus san-
 cti, multi quotidie vtriusque sexus conuertebantur ad
 Christum, quorum fidei magnitudo subiungitur L ita
 vt in plateas eicerent infirmos, & ponerent in lectulis
 & grabatis. J Grabata autem sicut in Scholastica histo-
 ria dicitur, proprie dicuntur lectisterna pauperum,
 in quibus nil corpori subternitur, sed tantum suppo-
 nitur capiti substramentum L vt veniente Petro saltē
 umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liber-
 rantur ab infirmitatibus suis. J Mirabilis deus in san-
 ctis suis, qui dedit virtutem & fortitudinem tantam
 Apostolis, potissime Petro, qui fuit in miraculis priuile-
 giatus, quoniam princeps erat apostolici agminis, si-
 cut Paulus in sapientiæ dono. Propter quod Petrus ad
 prædicandum Iudæis specialiter missus est, Paulus ve-
 ro ad Græcos. Nam Iudæi signa, Græci sapientiā quæ-
 runt. Vnde & Paulus testatur: Qui operatus est Petro
 in circumcisionem, operatus est & mihi inter gentes.
 Et vt dicunt expositores, Petrus maiora fecit miracula
 quam Christus, nec hoc derogat Christo, quia non sua
 sed Christi virtute Petrus operatus est ea. Hinc passio-
 ne instante dixerat Christus: Qui credit in me, opera
 quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet,
 quia ego ad patrem vado. Christus autem non eviden-
 ter legitur sua umbra curasse infirmos, sed vestimenti
 sui contactu. Dicitur autem vnum miraculum maius
 alio, tam ex parte rei gestæ, vt suscitatio mortui mai-
 or extat miraculum quam illuminatio cæci, quam ex par-
 te modi agendi, & sic Petrus maiora fertur fecisse quā
 Christus miracula. L Concurrerat autem multitudo
 vicinarum ciuitatum in Hierusalem afferentes ægros
 & vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur om-
 nes. J Vnde certissimum est innumerabilia fuisse Apo-
 stolorum miracula, & de pluribus non nisi paucissima
 esse conscripta. Nec hoc aliquis sic esse discredat, cum &

psal. 67

Ioan. 14
 Gala. 2

alijs quibusdam sanctis data fit tanta gratia operandi miracula quod eorum numerus describi non potuit. Verum quem deus spernit nullus corrigere potest. Hinc reprobi vnde corrigi deberent deteriorantur, quæ admodum peruersi Iudæi ex Apostolorum operibus tam diuinis, inuidia sunt succensi, secundum quod subditur. **L** Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant **J** concordēs in eisdem persecutione iustorum **L** quæ est hæresis Saducæorum **J**. **i.** qui cum illo existentes fuerunt hæretici dicti Saducæi, sicut enim in noua lege vocantur hæretici, qui non totam sacram scripturam recipiunt, vt Manichæi & Mōtanistræ vetus testamentum negantes, ita in lege Moy si erant quidam hæretici, quinque libros Moy si tantum recipientes, non autem prophetarum scripturas, qui Saducæi vocantur, qui interpretantur iusti. Nam iustos se nominauerunt, quia in iudicando & puniendo fuerunt acerrimi. Sed quia non iusti, sed valde iniusti fuerunt, dici possunt Saducæi, quasi seducti. Dicuntur tamen Saducæi, a Sedek verbo Hebræo quod latine dicitur iustus. Vnde Melchisedek rex iustitiæ interpretatur. Vel Saducæi vocati sunt a Sadoch sacerdote, de cuius semine se natos gloriabantur. Porro hæresis Græce secundum Bedā ab electione vocatur, qua quisque sibi, spretis aliorum dictis, quod sequendum putauerit eligit **L** repleti sunt zelo **J**. **i.** inuidia, nam veritas parit odium in cordibus incorrigibilium, quemadmodum scriptum est, non amat pestilens eum, qui se corripit. Apostoli enim prædicabant animam esse immortalem & resurrectionem futuram, esse quoque & angelos, atque prophetas diuinitus inspiratos, quæ omnia Saducæi negabant **L** & iniecerunt manus in Apostolos **J** vti que omnes, sicut ante in Petrum & Ioannem duntaxat **L** & posuerunt eos in custodia publica **J**. **i.** in carcere vbi & manifeste rei concludebantur, vt talibus similes putarentur. **L** Angelus autem domini per noctem **J**. **i.** proxima nocte **L** aperiens ianuas carceris, & educens eos dixit. **J** Beda euidenter hic asserit, quod Apostoli

Mat. 22

IN ACTA APOS. EXEG.

ianuis clausis educti sunt, Vnde in Scholastica historia dicitur, Non est intelligendum quod angelus aperuit ianuas carceris sed quod ita eduxit Apostolos ac si ianua fuissent aperta, Et quaedam glossa hic asserit, quod angelus aperuit ianuas carceris non realiter, sed apparenter quia eduxit eos tam libere per ostia clausa, ac si fuissent aperta, qd per oipotentiam dei fieri potuit, no autem naturali virtute angelica, qua se ad hoc non extendit, quod duo corpora simul sint in eodem loco. per penetrationem dimensionum. Quod autem ianua no fuerunt aperta realiter, verba paulo post subdita insinuare videntur, sicut patebit. [Ite & stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitae huius], id est, Christianae conuersationis, seu Christi, qui ait ego sum via veritas & vita [Qui cum audissent intrabant diluculo in templum & docebant. Adueniens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum eo erant, conuocauerunt consiliu, & omnes seniores filiorum Israel, & miserunt ad carcerem vt adducerentur.] Aposto. Quia enim princeps & pontifex consyderauit factum Apostolorum quotidie prosperari & plurimos a Iudaismo ad nouam legem conuerti, seriosissime intendebat quomodo vniuersos Apostolos auferret de medio. Hinc magnum & celebrem fecit conuentum, quasi rem magnam acturus. Verum (vt Salomon ait) non est sapientia non est scientia, non est consiliu contra dominum, Et quanto diuinae praedestinationi cor humanum impudentius praesumptuosiusque resistere nititur, tanto omnipotens deus, quod decreuit gloriosius operatur. [Cum autem venissent ministri, & aperto carcere] ab ipsis ministris seu custodibus. Non enim carcerem inuenerunt apertum, vt statim dicitur [non inuenissent illos reuersi nunciauerunt dicentes, Carcerem quidem inuenimus clausu cum omni diligentia, & custodes carceris stantes ad ianuas] qa ena videbat ludaei increduli Aplos tot mirabilia operari, cautissime eos clauerunt, ne aliq mo effugeret

Ioan. 14.

Prou. 21.

La pientes aut̄. Jcarcerem L neminem intus iuentimus J
 ex quo elicitur, quod clausis ianuis egressi fuerunt A-
 postoli. Si enim angelus ianuas aperuisset, cur denuo
 eas clausisset? L Vt autem audierunt hos sermones ma-
 gistratus templi Jvidelicet, doctores legis & iudices
 L & principes sacerdotum, ambigebant de illis, quid-
 nam fieret J, id est, dubitabant, quem exitum res habe-
 ret, & quid de Apostolis essent acturi. Circa hunc lo-
 cum ait Beda. Quid prophane Iudæe cæca stimularis
 insania? Furantibus Apostolis dicis Christum de mo-
 numento sublatum. Dic rogo eosdem Apostolos, de
 carcere tuo clauso, cuius furto credis ablatos? Verum
 ingenta malitia, cor perfidum in signis manifestis ob-
 durat. L Adueniens autem quidam J de Iudæis
 incredulis L nunciauit illis, quia ecce viri quos posu-
 istis in carcere sunt in templo stantes & docentes po-
 pulum J Si Apostoli aduersarios timuissent, non in tem-
 plo steterunt. L Tunc abiit magistratus cum mini-
 stris J, id est, multitudo superiorum cum subditis L &
 adduxit illos J puta Apostolos J L sine vi J ad princē
 sacerdotum, L Timebant enim populum ne lapi-
 darentur J si violentiam aliquam inferrent Apostolis
 quos vulgus deuote audiuit. L Et cum adduxissent il-
 los, statuerunt in concilio. Et interrogauit eos prin-
 ceptus sacerdotum dicens. Præcipiendo præcepimus vob̄
 ne doceretis in nomine isto J videlicet in nōie Iesu Na-
 zarenī L & ecce replestis Hierusalem doctrina vestra J
 quod Iesus iste sit rex Messias filius dei, mūdi saluator,
 iudex vniuersorum L & vultis inducere super nos san-
 guinem hominis istius J Hoc dupliciter intelligi potest.
 Primo, vultis ostendere, quod rei simus homicidij ho-
 minē innocentem perducendo ad mortem. Secūdo, vul-
 tis inducere super nos vindictam sanguinis istius, quē
 a nob̄ nocenter fusū asseritis. Primo modo Augustin⁹
 intelligit, ita quod Iudæi volebant quasi immunes vi
 deri a morte Christi, ideo obrulerunt eum iudici Pila-
 to, atq; dixerūt. Nob̄ nō licet iterficere quēq; Sicut prin-
 ceptus hic sacerdotū nunc q̄si oblit⁹ fuit, qd̄ ad pōtificum

Mat. 28.

Mar. 15.

Ioan. 20.

Ioan. 18.

Matth. 17.

instigationem, totus populus Iudæorum clamauit. sanguis eius supernos, & super filios nostros. Respondens autem Petrus & apostoli dixerunt. Obedire oportet deo magis, quam hominibus. hoc supra capitulo quarto expositum est. Porro ut ait hic glosa quædam, & Scholastica historia, omnes Apostoli verba ista vnanimiter proferebant, ex feruore & zelo non patientes vnum, p omnibus loqui. Quibusdam tamen apparet quod solus Petrus verba hæc protulit, quibus prolatis, alij vbis & signis annuerunt, alias videretur ibi fuisse vocum confusio. Veruntamen istud non cogit imò probabile est, quod Petro responsionem inchoante, & psequente alij ex feruore aliqua verba miscbant eadem affirmando, quod & in iudicijs accidere solet, non tamen inordinate, sed valde id modeste fecerunt. Deus

Matth. 26.

Mar. 14.

patrum nostrorum suscitauit Iesum quem vos intermisistis suspendentes in ligno. manibus militum. O qui parati fuerunt isti nunc morti pro Iesu, qui tempore sue captionis omnes simul fugerunt ab eo. Hunc deus principem & Saluatorem exaltauit, in resurrectione & ascensione, dextera sua, id est, sua gratiosa potentia ac pia assistentia. Vel in dextera sua eum ponendo. Est autem Christus princeps totius militatis ac triumphantis ecclesiæ. de quo Esaias prædixit. Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. De quo Apocalypsis primo habetur. Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ. Itaque exaltauit illum, ut sit caput ecclesiæ ad dandam poenitentiam. i. locum, tempus, & gratiam poenitendi, seu poenitentia sacramentum atque virtutem. Israel, id est, populo Israel, imò & cunctis hominibus in remissionem

Esaiæ. 6.

peccatorum. quæ per poenitentiam impetratur. Propter quod post resurrectionem Christi perhibuit. Oportebat pariter Christum & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius poenitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes. Et nos testes sumus horum verborum. id est, rerum significatarum per verba hæc, scilicet re-

Lucæ. 24.

peccatorum. quæ per poenitentiam impetratur. Propter quod post resurrectionem Christi perhibuit. Oportebat pariter Christum & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius poenitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes. Et nos testes sumus horum verborum. id est, rerum significatarum per verba hæc, scilicet re-

surrectionis, ascensionisq; Christi. Verbum autem quandoque accipitur pro interiori mentis conceptu, sicut & ibi. In principio erat verbum, quandoque pro imaginaria similitudine rei. interdum pro verbo vocali, vici-
 cissim pro re verbis expressa, quemadmodum, 4. Regum loquitur Ezechias. Non fuit verbum in domo mea, quod non ostenderim eis. ¶ & spiritus sanctus ¶ est testis horum per nos loquendo & mirabilia operando in testimonium Euangelicæ prædicationis. Propter quod Christus prædixit Ioannis. 15. Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis qui a patre procedit ille testimonium perhibebit de me. ¶ quem dedit deus omnibus obedientibus sibi. ¶ scilicet nobis & discipulis nostris in signo vicibili. Nullus tamen deo virtuose obedit nisi per præuenientem gratiam spiritus sancti, sed obedientibus deo datur spiritus sanctus per incrementa suorum charismatum. ¶ Hæc cum audissent ¶ præfati principes Iudæorum ¶ dissecabantur ¶ vehementer frementes ac indignantes contra Apostolos tam authoritariue & sine pauore loquentes ¶ & cogitabant interficere illos. ¶ In maliuolam quippe eorum animam non introierunt sapientiæ verba. Et contumaces suam reprehensionem non sustinent, sed odiunt corripentem. ¶ Surgens autem quidam in concilio Phariseus ¶ eo modo quo & Paulus infra testatur, ego Phariseus sum. Nam ambo antequam Christi fidem susciperent, erant de secta hac quantum ad obseruantias eius ¶ nomine Gamaliel ¶ ad cuius pedes instructus est Paulus ¶ legis doctor, vir honorabilis vniuersæ plebi. ¶ quia iam dudum honeste fuit conuersationis, & vita concordabat doctrinæ in ipso ¶ iussit foras ad breue homines fieri. ¶ .i. Apostolos iussit ad modicum tempus egredi, & extra manere. Hoc eis præcepit quamuis in corde suo sibi eos præponeret, seque eorum seruum ac discipulum reputaret. Veruntamen instar iubentis locutus est. De quo refert Clemens in quadam epistola, quod fuit Apostolorum discipulus, sed occultus sicut & Nicodemus, & de con-

Ioan. 1
4. Reg. 20

Ioan. 6.

Sapient. 7.

IN ACT. APOS. EXEG.

filio Apostolorum mansit inter Iudæos, ut eorum contra fideles mitigaret furorē. [Dixitq; illis. Viri Israëlitz attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis.] .i. nolite præcipitare sententiam, nec inconsulte istos opprimere, neq; ex passionis impetu quicquam præagere. Ad quod inducunt duo exempla. [Ante hos enim dies exiit Theodas dicens se esse aliquem.] .s. virum [magnum] ac vatem [cui] consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est, & omnes quicumq; credebant ei dissipati sunt, & redacti ad nihilum [non absolute ad nihilum, cum animæ sint immortales, & prima materia incorruptibilis, sed ad nihilum sunt redacti, quantum ad id quod attentarāt, & de terra seu vita præsentis sublatis sunt. Iste Theodas (sicut in Scholastica historia ex verbis Iosephi recitatur) dixit se esse prophetam ad cuius persuasionem multi Iudæorum venditis omnibus suis, & sublatis ex vrbe præsertim Hierusalem facultatibus venerunt ad ripas Iordanis, & promisit se post triduum diuisurum Iordanem, ut transirent per arenam sicco pede ut tempore Iosue, & infra hoc triduum venientes milites missi a præside Syriæ ipsum occiderunt & multos eorum quos seduxit, caputq; eius tulerunt Hierusalem. Fuit autem Theodas magus. [Post hunc exiit Iudas Galilæus in diebus professionis.] .i. generalis descriptionis, quando imperante Augusto descriptus est orbis, ibantq; singuli ut profiterentur in sua ciuitate, subiectos se esse Romano imperio, & capitis soluerent censum, ut Luc. 2. habetur [& auertit populum post se.] Nam docuit populum Israel, quod cum esset populus dei, non debere cum subditi Romanis, nec eis dare tributa, quia in templo decimas solueret atq; primitias, & quia in lege conscriptum est. Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Sed errauit, cum hoc de seruitute latriæ intelligat, & spiritali libertati, corporalis subiectio non repugnat, militantib. q; p. bo
Iosue. 3 no rei publicæ, stipendium seu tributum debetur. Pro
Lucæ. 2 Mar. 12 pter quod dixit Saluator. [Reddite quæ sunt Cæ
Lucæ. 4 Matt. 22

faris Cæsari, & q̄ sunt dei deo: Lucæ. 20
 L Et ipse perijt, & q̄rjt
 consenserant ei dispersi sunt. Non enim diuina virtu-
 te contra Romanos roborabant, sed p̄ suo errore suc-
 cubuerunt. L Et nunc itaq; dico vobis. Discedite ab hoĩ
 bus istis, & finite illos. Qm̄ si ex hoĩbus est consiliũ hoc
 aut opus dissoluetur. .i. si negotium Apostolorũ huma-
 na calliditate confictum est, & doctrina eorũ mendosa
 est, magicisq; artibus innituntur, cito totum peribit, si
 cur illorum duorum. L si vero ex deo est, nõ poteritis
 dissoluere illud. Abstinet ergo ab eis, ne & deo repu-
 gnare videamini. Rõnabilis p̄sus fuit ista instructio
 p̄sertim cum p̄babilia valde imo & certa omnino si-
 gna apparerent, q̄d Apostolorũ opus esset a deo. L Cõ-
 senserunt aut̄ illi. .i. Gamalieli non tñ in toto, q̄a in
 hoc consenserunt, q̄d dimiserunt Apostolos, non aut̄ in
 hoc, q̄d eos flagellauerunt, & p̄dicare p̄hibuerunt. L &
 conuocantes Apostolos, cęsis. .i. a se flagellatis. L de-
 nunciauerunt, ne loquerentur in nomine Iesu, ad po-
 pulum. L aliqua laude digna. L & dimiserunt eos. Et illi
 quidem ibant gaudentes a conspectu concilij quoniam
 digni habiti sunt, p̄ noĩe Iesu contumeliam pari. Repu-
 tantes persecutionem hanc esse p̄cipuum donum dei,
 quemadmodum Paulus Thessalonicensibus scribit. Vo-
 bis datũ est pro Christo non solum vt credatis in eum
 verum etiam vt patiamini, p̄ illo. Sic ergo implerũt
 Apostoli q̄d audierunt a Christo: Gaudete in illa ho-
 ra & exultate, q̄niã merces vestra copiosa est in cęlis. Matt. 13
 Hinc Iacobi primo habetur. Oẽ gaudium existimate
 cum in diuersas tentationes incideritis. Præterea cum
 quælibet virtus habeat p̄prium gaudium sibi an-
 nexum, perfectam patientiam habens in aduersitatum
 perpeffione, secundum superiorem animæ partem læta-
 tur, ita quod sicut gaudium est iusto iusticiam facere,
 & humili subdi, sic patienti est gaudium tribulari. Et
 vtique si Christum pure diligimus, gaudere debemus
 quod ei per aduersitatum molestias conformamur, q̄a
 & per hoc a peccatis purgamur, ad gratiam abundan-
 tiorẽ disponimur, ad regnũ cęleste cõpendiosius pue-

1. Pet. 4. nimus. Ideo scriptum est ; Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis. In omni ergo aduersitate inordinatam tristitiam repellamus, & Christi passionem ac multiplicem patientiæ fructum oculis cordis stabiliter proponamus, scientes quod omnes qui placuerunt deo per multas tribulationes transierunt fideles. Qui autem tentationes non susceperunt in timore dei & in patientia sua, exterminati sunt. **Iudi. 8.** **L**Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes publice & priuate & euangelizantes Christum Iesum. In quo patet maxima fortitudo fidei charitatisq; feruor istorum, qui in regia, pontificali q; vrbe nec verbis nec ictibus poterant a dei opere cohiberi. Et vtique nisi diuina potestate eorum opus eorum fuisset fulcitum, mirum & incredibile videretur, quod principes Iudæorum vel vno die permisissent eos in vita aut ciuitate sua metropolitana, sed vt dictum est, non est consilium contra dominum.

¶ Explanatio capituli sexti. Indiebus autem illis.

Articulus sextus.

Quia hoc libro sanctus Lucas primitiuę statum ecclesiæ proposuit scribere, nõ solum Apostolorum facta & verba enarrat, sed & cæterorum fidelium. post Apostolos precipue. Et quoniam in ecclesia presbiteri & sacerdotes constituunt & sequuntur diaconi, nunc de ordinatione septem primorum diaconorum texit historiam. In diebus autem illis crescente numero discipulorum. eorum videlicet qui per Apostolos conuertebantur ad Christum. Christiani vero tunc generaliter vocabantur discipuli, vt infra habetur. Quotidie autem plurimi conuertebantur. factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos. Per Græcos hic intelliguntur vel Iudæi in dispersione inter Græcos nati & educati, vel Græci & aduenæ ex gentilitate conuersi, & in Hierusalem commanentes. **L**eo quod despicerentur in ministerio